

nis debetur illi gloria, non potest deberi jure adoptionis, et ex libera voluntate.

XXXVII. Si objicias verba Apostoli ad Colossenses primo: *Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ*, ubi Christus dicitur Filius dilectionis, et voluntatis

XXXVIII. Respondetur, quod Apostolus non loquitur comparative ad incarnationem, ut in præsentem loquimur, sed respectu generationis æternæ. Sic S. Thomas in commentario ibidem: « Filii dilectionis suæ dicitur, id est, Filii sui dilecti, vel Filii essentiæ suæ, id est, habens essentiam suam quasi materialiter, sicut dicitur aliquis egregiæ formæ, id est, habens egregiam formam, et sic est vera Joannis tertio: Pater diligit Filium. » Et prima parte, quæst. xli, artic. ii, in argumento secundo objicit sibi hanc auctoritatem intendens probare, quod Filius sit genitus voluntate, quia Apostolus dixit: *In regnum Filii dilectionis suæ*, et respondet: « Ad secundum dicendum, quod Apostolus nominat Christum Filium dilectionis Dei in quantum est a Deo superabundanter dilectus, non quod sit genitus voluntate. »

XXXIX. Ultimo arguitur: Christus fuit prædestinatus in quantum homo, ut docet D. Thomas quæstione sequenti; sed prædestinatio est actio libera, et gratiosa; ergo in quantum homo potest terminare actionem liberam, et gratiosam Dei; ergo potest terminare actionem adoptivam, et gratiosam.

XL. Confirmatur: Christus in quantum homo fuit fidejussor, et accepit obligationem satisfaciendi pro nobis Deo; ergo potest esse filius adoptivus Dei. Patet consequentia: Non requiritur major distinctio inter fidejussorem et creditorem, quam inter adoptantem et adopta-

tum, nec major subjectio, et inferioritas; ergo si ratione humanitatis datur distinctio, subjectio, et inferioritas in Christo respectu Dei, ut satisfactor, dabitur etiam quæ sufficiat ut sit filius adoptivus.

XLI. Respondetur, quod (ut in quæstione sequenti dicemus) Christus non fuit prædestinatus ad filiationem adoptivam, sicut alii homines, sed ad filiationem naturalem, et ideo hæc prædestinatio est diversæ rationis a prædestinatione nostra: adoptio vero esset ad filiationem adoptivam, quæ est incompatibilis cum filiatione naturali, et propter hoc non potest terminare hanc actionem liberam, et gratiosam, bene tamen alia in qua nulla incompatibilitas reperitur, ut quæstione sequenti patebit.

XLII. Ad confirmationem respondetur, concedendo antecedens, et negando consequentiam. Ad probationem concedimus, quod ad satisfactionem non requiritur major distinctio, imo minor sufficit, quia sufficit distinctio naturæ, ut explicuimus in materia de incarnatione, et inferioritas naturæ sufficit ad subjectiorem, ut docet D. Thomas supra quæstione xx, articulo primo, ut etiam ibidem explicuimus, et art. ii ibi propter humanitatem docet S. Thomas, quod fuit subjectus sibi ipsi ut Deo, sicut etiam satisfecit sibi ipsi ut Deo, et hoc non sufficit ad adoptionem, quia adoptio terminatur ad suppositum directe. Verum est, quod inter suppositum Christi, et Patris æterni est distinctio realis, et ideo non excluditur adoptio ex defectu distinctionis, sed ex defectu subjectiorem, et inferioritatis, quæ debet esse non solum in natura, sed in persona adoptati, respectu adoptantis, quia non natura, sed persona est quæ adoptatur in filium, et

hæc inferioritas non est inter Personam Christi, et æterni Patris.

## ARTICULUS V.

*Utrum Christus in quantum homo sit servus Dei, et Filius naturalis totius Trinitatis?*

I. Duas difficultates complectitur titulus, quæ ex præcedentibus originantur. Prima est, de servitute Christi: secunda, de filiatione Christi ratione termini, scilicet, respectu cujus dicatur filius naturalis.

## PRIMA DIFFICULTAS.

II. Hanc tetigit D. Thomas hic articulo quarto, argumento tertio sic: « Christus secundum quod homo est servus, sed dignius estesse filium adoptivum, quam servum; ergo multo magis Christus secundum quod homo, est filius adoptivus: » et respondet S. Thomas: « Quod esse creaturam, et etiam servitum, vel subjectio ad Deum non solum respicit personam, sed etiam naturam, quod non potest dici de filiatione, et ideo non est similis ratio. » Differentia consistit, quod servitus respicit naturam, filiatio vero non, sed personam. Quæ doctrina traditur etiam a D. Thoma supra quæstione xx, ubi docet, quod Christus secundum humanam naturam est subjectus Patri, et servus Patris, secundum verba Apostoli ad Philippenses ii, dicentis: *Formam servi accepisse*: et ibidem articulo primo ad primum inquit D. Thomas: « Quod sicut non est simpliciter intelligendum, quod Christus sit creatura, sed solum secundum humanam naturam, sive ponatur ei determinatio, sive non, ut dictum est (scilicet

quæstione xvi, articulo viii) ita etiam non est simpliciter intelligendum, quod Christus sit subjectus Patri, sed solum secundum humanam naturam, etiamsi determinatio non ponatur: » et consequenter prosequitur ibidem ad secundum: « Quamvis non proprie dicatur, quod natura sit domina, vel serva; potest tamen proprie dici, quod quælibet hypostasis, vel persona sit domina, vel serva secundum hanc vel illam naturam, et secundum hoc nihil prohibet Christum dici Patri subjectum, vel servum, secundum hanc naturam. » Ex quibus constat, quod S. Thomas eodem modo loquitur de servitute, ac de ratione creaturæ in Christo, quod utraque convenit illi non simpliciter, sed cum addito ratione naturæ, et cum tali addito expresso, vel intellecto potest verificari, Christum esse servum.

III. Pro cujus majori intelligentia, notandum est, quod servitus multipliciter potest accipi, aut pro servitute peccati, secundum quam dicitur, quod: *Qui peccatum facit, servus est peccati*; aut pro servitute, qua quis alteri est subjectus, et subditus tamquam inferior, et tenetur ejus obedire mandatis: et hæc dupliciter contingit, vel tamquam mancipium, ut si quis in bello sit captus, et in servitatem redactus, vel pecuniis emptus: mancipiorum hujusmodi est servitus coacta: alio modo est servitus sine tali coactione, sicut alii, qui sunt liberi, et serviunt dominis suis, et isti proprie sunt servi, et respectu Dei Christus potest dici servus in hoc sensu.

IV. Sed adhuc in hoc distinguendum est, quod non convenit illi hæc subjectio ratione suppositi, vel personæ, sed solum ratione naturæ, secundum quod dicitur Lucae ii: *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in*



*sanctitate, et justitia coram ipso omnibus diebus nostris: et in hoc sensu S. Thomas 2-2, quæst. LXXXI, art. 1 ad tertium inquit: « Quod cum servus dicatur ad dominum, necesse est, quod ubi est propria, et specialis ratio dominii, ibi sit specialis, et propria ratio servitutis, manifestum est autem, quod dominium convenit Deo secundum propriam, et singularem quamdam rationem, et ideo specialis ratio servitutis ei debetur, et talis servitus nomine patriæ designatur. »* Cum autem in Christo sit virtus religionis respectu Dei, non potest negari in Christo propria servitus voluntaria, non coacta, sicut mancipii, sed sicut filii subditi inferioris, Deo servientis, et ejus mandatis obedientis, sicut dicit Apostolus: *Factus obediens, et sicut ipse dicit: Sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.*

V. Pater Vazquez supra quæstione xx, disp. LXXX, per totam intendit excludere servitatem a Christo, et quamvis capite primo, numero vii, distinguat servitatem mancipii, et subditi, inquit tamen, quod servitus subditi est impropria, et mancipii est propria; et numero viii ibidem inquit, quod controversia est cum Elipando, an conditionem mancipii, et servi retinuerit humanitas Christi. Et capite secundo refert pro parte affirmativa Elipandum, et Felicem hæreticos, et post illos S. Thomam, et quamvis dicat, quod sententia S. Thomæ longe est a mente Elipandi, et promittit explicare capite decimo, in illo tamen capite nec mentionem facit D. Thomæ, exponit tamen alios sanctos patres asserentes Christum esse servum, et expositio potius est contradictio. Igitur Vazquez per totam disputationem loquendo communiter nomine servi, intendit excludere servitatem a Christo, etiam cum addito secundum humanam naturam.

VI. Et hoc intendit probare esse diffinitum in Concilio Francofordiensi. Et notandum, quod neque Vasquez postea, nec Concilium verbis ab ipso adducendis, utitur nomine mancipii, et intentum ejus est, quod eodem modo damnetur in Concilio servitus, et adoptio in Christo, quia Elipandus servum, et adoptivum appellabat Christum, et quia neque Elipandus nomine mancipii utitur, solum nomine servi damnatur a Concilio; et cum S. Thomas concedat Christum servum ratione humanitatis, restat videre in quo sensu Concilium diffinit contra Elipandum, et quomodo non tetigit contra sensum D. Thomæ, et plurimum sanctorum patrum Augustini, Ambrosii, Athanasii, Cyrilli, Chrysostomi, Hieronymi, Hilarii, quos communiter referunt moderni.

VII. Igitur Vazquez capite tertio adducit in Concilio, in epistola Adriani, ubi sic habetur: « Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, ut adoptivum eum filium, et quasi purum hominem calamitati huic subjectum (et quod pudet dicere) servum eum impii, et ingrati tantis beneficiis liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce sussurrare. Cur non veremini queruli obtrectatores Deo odibiles illum servum nominare? » Et præterea ex epistola Concilii ubi sic dicitur: « Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum, quem Deum colimus, et adoramus, servum prædicatis, et adoptivum. » Ex quibus verbis Vazquez intendit probare, damnatum esse dicere, Christum esse servum.

VIII. Respondetur, quod Concilium solum damnat dicere Christum esse servum absolute, et ratione personæ; non vero solum ratione naturæ.

IX. Contra hanc solutionem replicat Vazquez ibidem capite vii, nam

Adrianus in sua epistola inquit: « Et Deus, et homo erat, qui secundum Deum, et homo erat, qui secundum Deum dicebat: Ego et Pater unum sumus, et secundum humanitatem Pater major me est; et tamen non ait Pater Dominus meus est: » ubi expendendum, quod secundum humanitatem non dixit Pater Dominus est, ut notavit pontifex; ergo nec secundum humanitatem Christus erat servus.

X. Secundo, adducit Vazquez alia verba pontificis in eadem epistola dicentis: « Animadvertite, quod nihil vobis restat, ut secundum divinitatem tantummodo credatis dixisse Patrem: Hic est Filius meus dilectus, ipse utique unus, proprius, et dilectus, et non servus, et adoptivus: » ergo non solum exclusit pontifex dicere servum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem.

XI. Tertio, objicit ex epistola Concilii post medium, ubi sic habetur: « Quid est aliud dicere eandem Virginem adoptivum, vel servum genuisse, nisi negare Deum illum genuisse; si Deus generatus est, nequaquam adoptivus, sed Filius, quia alia persona est filii, alia adoptivi, vel servi: » et paulo post: « Credamus eum Dominum, non servum, credamus eum omnia velle quæ meliora sunt, omnia posse quæ vult; quis negat meliorem esse proprietatem filii, quam adoptionem? » Et concludit: « Cur non debuit ex meliorem filiorum dignitate, et multo excellentiori nostram sibi in unitate personæ associare humanitatem, quatenus sua gloriosa, et propria nobilitate nostræ servitutis redimeret ignobilitatem. » Denique aggregat Vazquez verba Caroli in sua epistola ad Elipandum, dicentis: « In forma Dei creator, in forma servi redemptor. »

XII. Respondetur ad omnia hæc

testimonia duplici solutione. Prima est jam data, quæ est optima, scilicet, quod Concilium damnat servitatem in Christo ratione personæ, juxta sensum Nestorianum. Hanc solutionem omittit Vazquez impugnare, quia inquit capite quarto, quod in disputatione LXXXIX demonstrabit, quod Elipandus non fuit Nestorianus, sed nos ostendimus supra articulo secundo in sensu Nestorii impugnatum fuisse Elipandum a Concilio, verbis ipsius Concilii ibi allatis.

XIII. Nec contra hoc faciunt verba, quæ adducit Vazquez, in quibus hæresis Elipandi dicitur nova, quia etiam dicitur antiqua. In libro enim sacrosyllabo, columna tertia sic dicitur: « Hæresim veterosam illustrium fortium, scilicet, virorum calcibus mirabiliter inculcatam, catholicaque falce olim funditus destructam spinoso moliantur recidiva radice suscitare de stirpe: » et ibidem columna xii: « Elipandum, et Felicem novos hostes Ecclesiæ, sed veterosa fæce perfidiæ pollutos. » Ita ibi, ex quibus satis patet, quod hæresis Elipandi ita dicitur nova, quod etiam fuit veterosa, et damnata antiquitus ab Ecclesia, et ideo dicitur nova, quia reviviscere facit mortuam hæresim, ut Concilium ait, vel in sensu Photini propter adducenda, quæ excludunt servitatem ut puri hominis, in utroque excluditur servitus ratione personæ, quod est intentum hujus solutionis.

XIV. Igitur in hac solutione dicimus, quod Concilium damnavit in Christo servitatem ratione personæ. Et ad primum locum a Vazquez adductum respondetur, quod hæc solutio in eisdem verbis pontificis habetur ibi: « Ut adoptivum eum filium, quasi purum hominem calamitati huic subjectum, et servum, etc. » ubi quasi purum hominem inquit pontifex, sed purus homo non



est servus ratione humanitatis solum, sed ratione personæ; ergo si damnat dicentes Christum esse servum quasi purum hominem, damnat dicentes esse servum ratione personæ. Mirum est, quod Vazquez hoc non viderit in suo testimonio. Et in hoc etiam sensu damnatur filiatio adoptiva in hoc loco, juxta dicta articuli secundi.

XV. Confirmatur hæc solutio verbis pontificis in eadem columna explicando testimonia adducta ab Elipando pro servitute Christi, ubi sic ait: « Nam etsi in umbra prophetiæ dictus est servus propter servilis formæ conditionem, quam sumpsit ex Virgine, » in quibus verbis admittit pontifex nostram doctrinam. Prosequitur: « Sicut scriptum est: « Considerasti servum meum Job. Hoc nos intelligimus secundum historiam de sancto Job allegorice de Christo dictum. Numquid propterea servi ei nomen imponere debemus, quia sub persona Job Scriptura eum typice designat. Hinc etiam alius propheta: O Domine ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ: et rursus: Da imperium puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ: et illud: Noli timere serve meus Jacob, quæ cuncta, et juxta litteram prophetice, et mystice revelata nostri mediatoris designant personam. » Ita pontifex.

XVI. Ubi clare ostendit, quod servitus, quam negat, est servitus relata ad personam Job, Jacob, David, in historia, et prophetia ad personam nostri mediatoris, et sic pontifex utrumque facit, et admittere, quod ratione humanitatis ex Virgine desumptæ dicatur servus, quia illa est forma servi; et negare, quod ratione personæ dicatur servus, quod patet, tum ex ipsis terminis; tum, quia si pontifex vellet impugnare servitatem solum ratione naturæ, male recurreret ad personam, quia

est diversa, et quia erat clara responsio illi, quod hæreticus non de servitute naturæ loquebatur, sed personæ.

XVII. Nec valet si objiciatur, quod si pontifex impugnaret servitatem ratione personæ, et non ratione naturæ, posset faciliter explicare illa testimonia de servitute ratione naturæ, et non recurrere ad prophetiam, et figuram. Hoc, inquam, non valet, quia licet verum sit, quod si hæreticus loqueretur de servitute naturæ, posset pontifex respondere concedendo illam, sicut in principio concedit, et licet ut verum est, respondendo hæretico loquenti de servitute personæ, posset pontifex explicare testimonia de servitute naturæ, et bene, et recte responderet; tamen quia hæreticus intendebat servitatem in persona, et ad litteram testimonia illa de servitute personarum intelligebantur in sensu historico, ideo melius pontifex explicat sensum historicum, et mysticum, et negat simul servitatem a Persona Christi, ut in solutione verificaretur prius sensus historicus, quia in historia testimonia non poterant explicari de servitute solius naturæ.

XVIII. Ad replicam respondetur primo, quod si ibi pontifex excluderet servitatem, quæ est in inferioritate naturæ, determinaret contra Vazquez, qui capite primo hanc servitatem non negat in Christo in quantum erat obediens, et subditus Patri, sed solum dicit, quod est impropria acceptio servitutis, et lata significatio. Nos vero intendimus esse propriam cum D. Thoma locis allatis.

XIX. Secundo respondetur, quod pontifex ibidem excludit servitatem ratione personæ, quia immediate ratione naturæ illam concedit; prosequitur enim sic: « Enimvero etiam in ipso articulo passionis, in quo servilis forma pati parata erat, non eum Dominum appellavit, sed

Patrem. » Servilem formam concedit pontifex in Christo patiente, et hæc est humanitatis, et tamen non vocavit Deum Dominum, sed Patrem, quia quamvis esset Dominus comparative ad formam servilem, non erat Dominus comparative ad personam. Et loquitur juxta sensum absolutum, hoc est, secundum dignitatem personæ, ut inquit D. Thomas, quod intelligendæ sunt locutiones absolute, et locutio de servitute naturæ non debet esse absoluta.

XX. Ad secundum locum respondetur primo, quod ly secundum divinitatem tantum, sed potius secundum humanitatem, refertur ad filiationem adoptivam, quæ secundum humanitatem excluditur ibi, ut adduximus articulo secundo, conclusionem prima. Postea vero post plura verba inquit absolute pontifex, quod ipse est proprius, et dilectus, non servus, et adoptivus, et ex vi testimonii Patris: *Hic est Filius meus*, solum adoptio excluditur: vel secundo, quod ibi excluditur servus secundum servitatem peccati, de qua in sequenti solutione.

XXI. Ad tertium locum respondetur, quod in ejusdem verbis continetur solutio nostra ibi: « Quia alia persona est Persona Filii, alia adoptivi, vel servi, » ubi clare loquitur de servo, quoad personam. Et similiter in aliis verbis, quæ adduntur, intelligitur in eodem sensu, quia dicitur: « Credamus eum non servum. » Et redditur ratio, associari humanitatem in unitate personæ, per quod solum excluditur servitus personæ. Et quando dicitur: Quando sua gloriosa nobilitate nostræ servitutis redemit ignobilitatem, certum est, quod refertur ad redemptionem, qua nos redemit de servitute peccati, quæ non fuit in humanitatem assumpta.

XXII. Ad verba Caroli respondetur, quod sunt pro nobis ibi, in forma

servi redemptor, ubi satis denotat, quod humanitas adhuc existens in Christo, remaneat forma servi, non ut vult Vazquez, quod antea fuerat forma servi, et servitatem amiserit per assumptionem a Verbo, si quidem in forma servi est redemptor.

XXII<sup>a</sup>. Quæ solutio etiam in eadem epistola Concilii expresse habetur columna octava, circa illa verbi Pauli: *Moses quidem tamquam famulus, Christus vero tamquam filius, amplioris gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus*, prosequitur pontifex: « Quomodo amplioris gloriæ si servus sicut Moyses, vel ex servo adoptivus. » In quibus verbis duplex solutio satis declaratur. Prima est ista ibi: Si servus sicut Moyses; sed Moyses fuit servus in persona; ergo hæc servitus excluditur a Christo. Secunda ibi: Vel ex servo adoptivus, certum est, quod adoptio est per gratiam; ergo si transit ex servo ad adoptionem, est transire ex servitute contraria gratiæ adoptionis, et hæc est servitus peccati, quæ erit secunda solutio. De servitute vero ratione naturæ, quam ponit S. Thomas in quantum est creata, non loquitur Concilium quando damnat servitatem, sed solum quando dicit formam servi, et tunc approbat, et ideo ibidem columna XII adducitur Augustinus, qui etiam ad ducetur a D. Thoma pro sua sententia dicens: « Dominus noster etiam in forma servi non servus, sed in forma etiam servi Dominus fuit, » ubi ponitur doctrina D. Thomæ, quæ utrumque componit, scilicet, quod cum forma servi non sit absolute, et simpliciter servus, sed Dominus, si autem reduplicaretur forma, quia illa est forma servi, esset servus secundum quid, hoc est secundum formam.

XXIII. Secunda solutio est, quod excluditur servitus a Christo, quæ est per culpam. Probatur ex epistola Concilii, ubi columna XII sic habe-